



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 46. Dicit illi. Non sum. v. 17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

nim discipulus notus Pontifici ei dixisset de Petro introducendo in atrium & illa non abnuisset ei, non debebat garrulitate otiosa vexare Petrum sic admissum & ei ponere scandalum, cum posset ipsa per se cogitare quod Petrus captivi hominis & periclitantis adeo, non esset se discipulum aut notum confessurus. male itaque quæsiuit, quod negandum bene ratio providit.

**P**Rò quantum mali causat garrulitas! non possum explicare, sed magis mirari, quod cum tanta mala ex garrulitate indies videamus, imo sentiamus, eam tamen non exhorrescamus & reseccemus. ibi omnes fere labimur & coinquinamur, ut bene dicat Apostolus: *Qui non est lapsus in verbo hic persectus vir est, &c.*

S. 46. Dicit illi. *Non sum, v. 17.*

Audio verbum tuum Petre, *Non sum.* sed nescio cogitationes tuas quas habes cum verbo isto. Sunt quidem verba hominum notæ earum rerum quæ sunt in animo, sed potest homo & notas dissonantes ab animi notis ponere, mentiendo; & potest adeo imperfectas ponere orationes, ut ex verbis animi conceptus certi nequeant elici, & potest verba ponere tam cata & arguta ut multos sensus etiam oppositos & pugnantes una patiantur. omnes isti tres casus possunt esse in tuo verbo brevi, *Non sum.* O venerande Apostole. Quid igitur determinabo. O beate Petre habes apud te Ioannem qui charitatem semper spiravit: iste mihi inspirat ut verbum tuum triplicem patiens sensum interpreter meliore modo, verbum tuum semel sonare potest. *Ego Petrus non sum discipulus Christi, nec fui nec ero,* iste sensus valde malus est, istum tibi arrogare non audeo quia causam non habeo ita iudicandi de te. Secundo sonare potest hoc: *Ego modo non sum discipulus sive in presenti quia ad tempus recessi vel fugi ex eius schola.* Iste sensus verus est, habet tamen annexam querelam cur id malum feceris tam bene de te merito? 3. sonare potest acute. *Ego Petrus non sum ex discipulis istius hominis qui me modo introduxit scilicet: quia tu Ostiaria quæris an sim ex discipulis hominis istius, & hic introducens est sane iste demonstrabilis homo, a quo imo melius quam intra captivum est demonstrabilis.*

**S**ed hunc sensum non credo fuisse S. Petri, qui mihi videtur simplicior fuisse quam ut sic arguraretur. Volo ergo in secundo sensu relinquere verbum tuum S. Petre & caritate operire si quod in tuo verbo esset peccatum, ut & tu & Dominus noster Iesus & alij operiant multitudinem meo-

rum peccatorum, & hoc confidentius ago quia video quod nec S. Iohannes istud verbum audiens, illud nulla nota mala insignivit.

§. 47. *Stabant autem servi & ministri ad prunas quia frigus erat. v. 18.*

Stabant quia servierant, etiam mancipia isti ministri, quorum officium est stare ad servitium Dominorum suorum, sed stabant sic, ut inter se sibi quoque starent, nempe ad commodum suum, ad prunas ut caleficerent, quia frigus erat, & quidem duplex frigus spirituale quidem in cordibus eorum stando contra ignem amoris Dei & iustitiae, adherentes iniquitati ad iniquitatem Principum suorum: Corporale autem frigus quia noctes & quinoctiales solent, ceteris non obstantibus, ut calido vento flante fit vel caelo pluente australi, esse satis acres & acutae & magis sentit quinoctialia frigora, quam brumalia ipsa siue solstitialia.

Deus meus utrumque frigus est valde noxium, sed magis spirituale, ex frigore tamen corporali disco aestimare spirituale; quia ego carnalis sum, non sapiens ea quae sunt spiritus, nisi per carnalia aenigmata, vel uti Philosophus ait per phantasmata. Multum tamen capio & sapio de spirituali frigore, cum illud speculor per phantasma frigoris corporalis. Averere igitur à me Domine malum illud frigus spirituale, uti soleo ego à me arcerere frigus corporale prunis, lignis, vestibus & hypocaustis.

§. 47. *Et calefaciebant se. v. 18.*

Externe quidem corpus, faciem, manus, pedes, fovebant, interne spiritum anima ipsorum manebat in frigore: erant apud ignem caelestem qui flagrabat & nullus eorum sese ei applicabat, nec ab eo calefieri optabat ardebat ipse ignis amore ipsorum, & consumebatur passionibus, & nullus accedebat, ut incalesceret spiritu, fide, compassione: Erat insuper lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum in mundo erat, & apud ipsos, & mundus eum non cognovit, sed neque Iudaeorum vel Principes vel subditi. Heu mundi caecitas! omnes in corporalibus malis arcendis & bonis corporeis quaerendis sumus providi, imo lyncei, sed quam in spiritualibus hebetes, obtusi & caeci.

O Deus calefiam obsecro semper ex tuo igne divino, ita ardeam in corde ex tuo igne interiori, ut non curem, aut multum sapiat mihi calor eternus, ita calebat S. Franciscus ille tuus nudus & pauper, ut tamen amplius suo frigentem ut focus luculentus animaret. O si & ego totus sic ex te conflagra.